
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO XI.

De

Justitia Particulari.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

JOHANNES KNISPELIUS,

Schwebusio-Silesius.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Octobr.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

De
Justitiâ Particulari.

Conversatione humanâ per homileticas Virtutes directâ *actio cum aliis* gubernanda est, quæ est vel nostra erga alios, quam *Justitia particularis*, vel aliorum erga nos, quam *Mansuetudo & cognata Virtus* gubernat.

2. Justitiæ particularis tractatio *realem positionem, definitionem, objectum, divisionem, & oppositum exhibere debet.*

3. *Positio* est, quâ reverâ distincta ab omnibus reliquis particularib. virtutib. est. Quod patet 1. *A formali* ratione, quia nulla cœterarum medium in distribuendo ac commutando res externas servat, ut nec plus aut minùs, ac par est, capiatur, quàm sola just. part. Ast hoc proprium formale distinctæ cujusdam Virtutis est. 2. *Ab Opposito*, Quia injustitia particularis peculiare vitium à reliquis distinctum est, nam qui plus justo capit, præcisè injustus, non intemperans, audax, timidus, illiberalis, mendax, vel similis est. E. & opposita Virtus, Iust. part. distincta Virtus est. Quæ contrà objiciuntur, partim Just. Univers. concernunt, partìm aliena sunt. *V. Dec. 3. d. 8. t. 3.*

4. *Definitio est, Virtus directa medium prudentiæ in usurpatione rerum externarum, in quibus plus aut minus, lucrum aut damnum, locum habet, servare faciens.*

5. *Virtus directa ex d. 4.* ut & medium prudentiæ patet. *Cætera ex modo versandi & objecto sumpta. Modus versandi in medio in usurpatione rerum externarum servando consistit.* Medium hoc paulò aliter hic servatur, ac in reliquis virtu-

tibus *1. Non est* inter duo vitia realiter semper distincta, & nominib. distinctis enuntiata, ut liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem, fortitudo inter audaciam & timorem: sed virtute tantùm & ratione, & quæ uno nomine injustitia vocantur, ubi quoad rem unum vitium, etsi quoad formale & considerationem Ethicam *duplicem anomiam* continet, *excessum*, ubi plus, *& defectum*, ubi minus capitur, ac justum est. Sic qui plus justo de pecuniâ sumit, excessum in se, defectum in alio committit. *2. Medium* hoc rationis est, ut in aliâ Virtute, *d. 4. t. 5. Et sæpè rei*, quod non in aliâ, ut quoad rem nec plus, nec minus justo capiatur, non attentâ conditione loci, temporis, personæ, dignitatis, nisi moralis necessitas intercurrat, Vid t. 17. Hoc inprimis *in just. Commuta.* attenditur, Ubi medium rei cum medio rationis coincidit, prudentia enim moralis tale medium ratione om. circumstantiarum servandum docet, & sic formaliter ex habitu virtutis medium rationis, materialiter & reipsâ medium rei hic servatur. *Sic* in commutando æqualitas simpliciter spectatur. *Sic* vi justitiæ æquè generosum vinum pro æquali pretio vendes rustico, ac pro eo vendidisti consuli. Tamen ratione variarum circumstantiarum spectatur. Pretium enim rei pro copiâ aut indigentiâ statuitur. In annonæ caritate majus, in vilitate minus. Et sic medium prudentiæ hic concurrit tam in actu, quàm habitu virtutis, ut distinguere hæc cum *Caso l. 5. Spec. mor. c. 3.* non necesse sit.

6. Ratio & causa, cur tale medium servandum, 1. Primum Naturæ illud est principium, *Quod tibi fieri vis, alteri feceris, quod non vis, alteri nec feceris. Matth. 7. v. 12. Luc. 6. v. 31. Tob. 4. v. 16.* Quod Severus in parietibus adscribi jussit. De eo nota. *1. Voluntas* nostra est regula justitiæ cum altero

altero servandæ, non quomodocunq; vitiosè, erroneè, distortè, & corruptè se habens, sed ordinata, rectificata, & ad lumen naturæ justè conformata. Sic tibi misero succurri velis. E. & alteri succurres. 2. *Voluntas* est regula officii, non in specie vel numero facti, sic enim herus serviret servo, nam hoc à servo factum vult, aut eundem panem pro me emptum pro alio emerem; Sed genere & æquitate, eodem officio vel simili. Sic si nos servi, heros æquos esse vellemus. Tales E. etiam servis esse debemus. *II. Naturalis æquitas*, Cujus imaginem in Ciconiis, Elephantis, Camelis, & brutis videmus. Indecens autem, hominem á brutis vinci. *III. Exempla* justorum laudatorum, & injustorum vituperatorum. *IV. Christianus* & Scripturæ præcepta ac pœnas advertet, *Exod. 23. Lev. 19. 1. Tim. 4. 2. Timoth. 2.*

7. *Modus*, juxta quem medium *Just. Par.* servandum, proportio vel proportionalitas dicitur, voce Mathematicà, *& est certa magnitudinum ac numerorum ad sese comparatio.* Eaq; *primaria*, quæ primariò in quantitate observatur, ut *Arithmetica*, cum æqualis est distantia, ut 2. 4. 6. 8. Et *Geometrica*, cum dupla vel major est, ut 4. 8. 16. 32. Ubi 4. bis in 8. & 8. bis in 16. & 16. bis in 32. Vel *harmonica*, cum maximi ad minimum ea proportio, quanta differentia intercedentis inter duos majores ad differentiam inter 2. minores, ut 3. 4. 6. ubi 3. & 6. minimi & maximi, 2. distantia inter majores 4. & 6. 1. inter minores 3. & 4. Vt 6. maximus 2. continet 3. minimum: Sic differentia majorum 4. & 6. nempè 2. bis continet differentiam minorum 3. & 4. nempè 1. *Et secundaria*, quæ secundariò interdùm attenditur. Quæ directa, cum directè comparatur, ut sicut 3. ad 6. sic 12. ad 24. Et indirecta est, cum permutatio distantiæ occurrit. Ut sicut 6. ad 18. sic 12. ad 36. tripla 6. 12. 18. 36.

8. Sic per analogiam *proportio Ethica est actuum moralium certa inter se comparatio, ad æquitatem conformata.* Estq; *Arithmetica*, cum æqualitas rerum Physica ex sua mensurâ ac pretio, non contrahentium dignitate ac merito, attenditur. Vt si vinum pro frumento commutandum, modius frumenti 1. Vas vini 10. fl. valet. Pro vase vini 10. modii dandi, sic æqualitas rerum servatur, & tantum agricola accipit, quantũ Vinitori commutavit: Et *Geometrica*, cum ex merito & respectu morali actus censetur, & distributio instituitur, ac rerum pretia personarum meritis moraliter per se adæquantur. Ut cum præda inter ducem, Capitaneum, & militem dividenda. Dux merito & labore ut 12. Capitaneus ut 6. miles ut 3. se habet. E. tali proportione distribuendum, & Duci 1000. Capitan. 500. & Militi 250. fl. assignandi. Et ubi militi 100. Capit. 200. & duci 400. fl. dari debent. Ut duplus Dux ad Capitaneum, sic hic ad militem. *Harmonicam* quidam addunt, & in moralibus commendant, ut *Bodinus 6. d. Rep. c. 6. Et Meth. hist. c. 6. Alstedius Polit. 2. c. 7. Keckermannus d. 32. Curs. Philos. q. 1. Timplerus 3. Ethic. c. 10.* Sed citra rem, cum omnis æqualitas justitiæ moralis *vel* ex agentium merito ac dignitate æstimetur, unde *Geometrica*, *vel* rerum æqualitate, unde *Arithmetica* proportio oritur, frustra media æqualitas inducitur, quæ & nulla inter duas est, & si est, frustranea in moralibus est, cum hæ duæ sufficiant, aut ad ultimum omnia judicis arbitrio ac prudentiæ committuntur, quod incertum ac perniciosum in moralibus est, nullum n. certum formale pro distributionis fundamento assignari potest.

9. *Objectum Just. part.* internum appetitus concupiscendi lucri, aut damni inferendi est; *Externum* omnis res usurpanda, in quâ ratio lucri aut damni obtinet, estq; *omne contrahi-*

trahi-

trahibile & distribuibile. Sub illo commutáda & contractus, voce nimis strictâ, cum & hæreditates, acceptationes, & dationes comprehendat, sub hoc publica in partes pro ratione distribuenda, & præmia & pœnas collocant. *Vsurpatio est rei externæ ad nostrum usum applicatio.* Estq; generalis conceptus ad species sub justitiæ ratione comprehensas, *commutationem & distributionem*, unde just. commut. & distributiva dicitur, quomodo & ipsa justitia in commutatione & distributione rerum externarũ versari dicitur. Quanquam nomina specierum non debent in definitionem generis actu & expresè poni, sed hæc ab illis abstrahi, ut *Logici* docent. Sic malè animal corpus sensitivum, rationale vel bestiale dicas. Ita hic rectiùs generale vocabulum cum suppetit, usurpatio rerum externarum, adhibetur.

10. *Formale rei externæ, sub quâ Just. part. objicitur, est ratio damni & lucri*, sub quâ nulli alij virtuti objicitur. Vox damni & lucri non strictè sumenda, ut in contractib. spontaneis, emptione, venditione, locatione, oppignoratione, est, sed & latiùs, ut & in invitis est, in quib. non proprium Lucrum, *ut damnum hic plus mali & incommodi, lucrum plus boni & commodi, minus mali notet.* Sic in pœnis Petrus Paulum percussit, lucrum penes Petrum, damnũ apud Paulum est. Judex ad æqualitatem redigens tantum damni percutienti Petro infert, quantum percusso Paulo intulit. De JCtorum definitione justitiæ, constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi, *Dec. 3. d. 8. t. 13.* visum, & si accuratione Philosophicâ expendatur, nec genus, nec differentiam quadrare dictum, quicquid de *Hunnij l. 1. var. res. tr. 1. q. 1. Soti, aliorumq;* definitionibus sit. Et raras in Jure accuratas definitiones occurrere ipsi JCti attestantur, *d. Reg. Jur. leg. 202.* Et probat *Ant. Mattheus d. 12. fund. Juris.*

11. Di-

11. *Divisio Jus. part. ex speciebus & modis est. Ex speciebus distributiva & commutativa est. An proba*, & an in species, an modos tantùm, quæritur? Probam *Scultetus lib. 1. Eth. c. 28.* negat, quòd justitia longè latior sit, veracitatem, gratitudinem, innocentiam, comprehendat, (alii & pietatem, religionem, observantiam, liberalitatem, magnif. affabil. urbanitatem, &c. sub eâ comprehendunt, ut *Pavonius q. 2. d. 3. Eth. aliiq.*) Et distributiva ipsa tota justitia, non species ejus sit, & proportio justitiæ veritati & gratitudini non competat. Ubi *quædam* princip um petunt, *quædam* absolutè sumuntur, cum πῶς tantum procedant, *quædam* Virtus dicuntur, cum generale omnis Virtutis adjunctum sint, ut innocentia, quæ idem ac honestas, gratitudo ad justitiam remunerantem vel liberalitatem pertinet, vel analogon quid illi est, vel actus aut semivirtus est, non virtus. *Pietas & religio* Virtus spiritualis, non Civilis est. *V. c. l. t. 14. Quædam* diversæ à justitiâ virtutes sunt, ut liberalitas, affabilitas, Urbanitas, *d. 10. Buridanus 5. Eth. q. 7.* in modos, non species esse vult. Sed rectiùs *in species* dicitur, nam objecta formalia, modi versandi, actusq; ipsi & proportiones distinctæ hic sunt, à quib. specificum Virtutum discrimen sumi solet. Distributiva externum publicum objectum, commutativa privatũ habet, & distribuere ac commutare actus diversi & oppositi sunt, subjecta variant, ibi publica, hic privata sunt, & proportiones etiam divertunt. *t. 12. 16.* Inde & Aristoteli justi species vocantur, *5. Nicom. c. 7. & l. 4. Eudem. c. 2.* Opposita dissolvit *Timplerus 3. Eth. c. 10. Strevesdorf. d. J. & J. q. 61. aliiq. V. Dec. 3. t. 15. c. l.*

12. *Distributiva est Just. part. æqualitatem proportionis Geometricæ moralis in distributione rerum externarum publicarum inter partes, quà publicæ sunt, servare faciens. Genus è t. 4.*

patet.

patet. Reliqua è modo verſandi & objecto ſumpta ſunt. E modo verſandi æqualitatem proportionis Geomet. moralis ſervare facere dicitur. Quid iſta proportio, *t. 7. 8.* dictum. Hic ſervatur, cum *pro ſtatu, merito, dignitate, & reſpectu proportionem moralem importante, unde* majus minusvè pretium rei æſtimari poteſt, publicum quid, præmium vel pœna, diſtribuitur. Objectum enim diſtributivæ debetur membris *ratione totius*, cujus membra ſunt: Vnde & eâ proportione tribuendum, quam ad totum ſeu communitatem habent. Unde quia membra inæqualia, ſtatus, conditio, meritum, facultas, opes, diverſa, & prœmium & onus diverſum eſſe debet. Sic majus onus imponendum, qui ſe habet ut 20. quàm illi, qui ut 6. ut ſi hic 6. imp. ſolvat, alter 20. ſolvere debeat. *Fundamentum diverſitatis* hic varium eſſe poteſt, nobilitas, liberalitas, opes, merita, virtutes, dignitates, *V. Ariſt. 5. Nicom. C. 6. Bodinum 6. d. Rep. c. 6.* Qui & omne *Geometricum* ad regium & Ariſtocraticum, Arithmeticum ad Democraticum ſtatū pertinere ait. Qvod falſum eſſe præmia pro merito & ſtatu cujusvis in omni Politia, etiam Democraticâ, diſtribuenda, docent. *Conf. Horneium 3. Eth. c. 12. Piccolomin. gr. 10. c. 10.*

13. *Objectum diſtributionis eſt circa quod, & Cui. Circa quod eſt res externa publica. Externa*, quæ extra naturam ſubjecti eſt, quod juſtitiam adminiſtrat. *Publica*, quæ ut commune quid ad totam Remp. ſpectans de communi ejus bono aut malo inter cives, ut publica communitatis membra ſunt, diſtribuitur. *Eſtq́ commoda*, ut præmium, honor, beneficium publicum, libertas, privilegium, *vel incommoda*, ut onus & labor publ. ſervitus, contributio, vectigal, jugatio, adæratio, capitatio. Cum privato nomine, non ut ex publico reſervato, nec ut publicæ perſonæ, ſed ut privatæ

confertur, ut privata merces, beneficium, stipendium de privatâ operâ, ut Consiliario ob prudens consilium, militi ob strenuam operam, Civi ob privatam industriam, *commutatio est, non distributio*. Sic cum delinquenti pœna irrogatur, non ut Civi aut membro publ. sed ut privatim delinquenti irrogatur, etsi justitiæ executio, injuriæ vindicatio, & pœnæ inflictio ad Remp & publicam potestatem pertineat. *Cui, alias subjectum*, est pars publica, quà talis, & pars publicæ societatis, publico nomine ob publicum finem & usum aliquid participans. Ut cum onus civib. ob communem Reip. usum imponitur, agri hostibus erepti aut prædæ civib. vel militib. distribuuntur.

14. *Commutativa est justitia part. æqualitatem proportionis Arithmeticæ moralis in commutatione rerum externarum ac privato nomine debitarum inter privatos servare faciens. Objectum ejus* συνάλλαγμα sive contractus, vel potius *omne commutabile*, etiam invitum & involuntarium, unde & obligatio ex delicto vel quasi delicto comprehenditur, prout in Jure Civili Leg. omnem, ff. de Judic. vox contractus extenditur. *Estq. voluntarium*, ut emptio, venditio, locatio, mutuum, commodatum, usus fructus, *& invitum*, cum ab unâ parte voluntas non adest, ut furtum, pœna. Hoc *vel in re* lædit, ut factum, rapina, *vel in personâ* propriâ vel alienâ & conjunctâ, incolumitatem, dignitatem, fortunam, &c. *Res privata*, quæ ut privata, nomine non publico possidetur. *Subjectum* persona privata est, quæ sub privatorum conditione æstimantur. Possuntq; *vel* cives unius, *vel* diversarum Rerumpublicarum esse, *vel* ipsa Resp. privatim spectata cum alia contrahens, ut si aliquid à privato emat, illi vendat, elocet, utendum det. &c. *Modus versandi est*, ut æqualitas proportionis Arithmeticæ servetur, ut res & rei

rei pretium in se simpliciter citra statum, conditionem, meritum contrahentis, attendatur. *Commutatio* enim vult, ut tantum lucri aut damni reportes, quantum pro re debetur, non plus aut minus. Sic si ædes vendas, tantum pretij habebis, quantum domus in se, aut ex contractu vendentis meretur, non quantum dignitas aut meritum emptoris postulat. *Et opposita inæqualitas* primò & per se ex facto æstimatur, non conditione inferentis injuriam, nisi morale discrimen ei importet, *t.17.* Sic si probus defraudat, injuriam infert, æquè ac improbus, non attento, quòd aliàs probus sit. E. & æqualitas primò ex ipso facto spectanda. At hoc proportio Arithmet. est.

15. *De pœnis* inprimis quæritur, *quâ proportione infligendæ, an Arithmeticâ, Geometri. aut Harmonicâ?* Communiter Geometrica ajunt, & distributivæ justitiæ tribuunt. *Conimbricens. d. 9. Eth. q. 1. Ja. Mart. C. 9. d. 3. q. 9. Raconis s. 3. Eth. q. 2. Golius lib. 5. Eth. c. 5. Bartholinus l. 2. Eth. c. 1. Magirus, Hetlandus, Ch. Matthias, Eustachius S. Pauli, Alstedius, Timplerus, Rigerus, Reyerus, Snellius, Casus, Hakelmannus, alijq. Ex ICtis in parat. ff. d. J. & J. n. 11. Mynsinger, Ehemius. Alij* Arithmetica ajunt, & commutativæ adscribunt, Ut *Averroes, Thomas, Cajetanus, Soto, Hornejus l. 3. Eth. c. 13. Melanchton Epit. Eth. p. 1. Goclen. q. 42. Eth. Arniseus l. 1. Pol. c. 17. & peculiari disput. d. prop. Arithm. Amesius l. 5. Cas. c. 3. Gerhardus d. Magistr. t. 312.* Et ipse *Aristoteles 5 Nicom. c. 7.* Ubi & invitas commutationes *Iust. Com.* adscribit. Hæ autem pœnarum irrogationes sunt. *Alij* mediæ cuidam Iust. quam correctivam vocant, pœnas irrogare tribuunt, Ut *Amesius c. l. c. 2. & lib. 2. medul. cap. 16. t. 68. 70. Sculteus lib. 1. Eth. c. 33. Alij* ἐπέχειν eligunt, ut *Gutkius d. 12. Eth. q. 1. Alij* inter delicta publica, quæ Geometricæ, & privata, quæ

quæ utriusque prop. censent, distinguunt. *VValleus p. 3. Eth. p. 230.*

16. Rectiùs *justitiæ commutativæ* asseritur, & proportio Arithmetica in pœnis statuitur, sed *Ethica & Moralis*, ex lucri & damni ratione, non Physica ex naturâ facti absolutè spectata, sumpta, ut *æqualibus peccatis Ethicè & moraliter secundùm omnes circumstantias morales minuentes vel aggravantes spectatis, æquales pœnæ Ethicè ratione damni, quod inferunt, spectatæ irrogentur*, citra respectum personæ, προσωποληψίαν, aut ullam conditionem non inæqualitatem delicti moralem inferentem. Patet *1. Scripturâ*, quæ omnem injustum personæ respectum, quo res ipsa non variatur, prohibet. *Lev. 19. v. 15. Deut. 1. v. 17. Proverb. 24. v. 23. Jac. 2. v. 3. 4. 2. Ratione, quia justitia inæqualia commissa ad æqualitatem redigere debet.* At in judiciis & pœnis eadem æqualitas intenditur, ut *quod delicto damnum illatum, æquali pœnâ damni inferendi sarciatur, & sic rerum inæqualitas ad æqualitatem moralem simpliciter redigatur.* Secus si fiat, & persona aut ad rem moraliter nihil faciens respiciatur, non inæqualitas tolletur, sed intendetur, dum jus suum læso denegatur. Et *si Geometrica* prop. hic servetur, *pro majore statu validiùs aliquis punietur, quod tamen alteri evertunt, & nobilem mitiùs ignobili puniendum censent: Item pœnæ propriè distribui dicentur*, quæ irrogantur & inferuntur, non distribuuntur, quod publicorum est, *t. 12. 13.*

17. Respectus personæ Physicus & ex naturâ sui totus est illicitus, qui nihil ad rem moraliter spectatam facit: Sed Ethicus & moralis admitti potest, ubi aliquid moraliter aggravans aut minuens est, hoc enim discrimen delictorum morale facit, & aliquid importat, unde crimen gravius ac levius fit, consequenter graviorem aut leviorem pœnam meretur.